Et tergo fugitivae, atq̃ capillos humeris agit
Sparsos. Robore fracto illa pavet, pallor obit genas.
Et sudore fugae victa videns flumina Thessala
Dixit, mi Genitor suggere opem, si quod inest aquis
Numen: Terra, nimis quâ placui, me rape, vel tere
Comutando figuram, facientem ut graviter premar.
Finitis precibus mox gravis artus sopor occupat:
Cinguntur tenui mollia praecordia cortice:
In frondem nitidus crinis abit, brachia in arboris
Ramos, pes modò radicibus haeret stabilissimis:
Reddunt ora cacumen: remanet splendor in arbore.
Hanc et Phoebus amans apposita in stipite dexterâ
Pectus adhuc sentit, cortice quî palpitet in novo,
Complexusq̃ suis, membra sicut, brachia ramulis
Ligno basia dat, quod tamen haec oscula negligit.
Cui Phoebus, quoniam non mea conjux fieri potes,
Dixit, Laurus eris tu mea: nam te coma perpetim,
Te telis gravidae, Laure, pharetrae, citharae meae
Gestent: Tu aderis tu Ducibus, quando novum canet
Vox conjuncta triumphum, et venient in Capitolium
Pompae. Postibus adstabis honor florida Caesaris
Custos ante fores, et mediam texeris ilicem.
Intonsisq̃ capillis caput est ut juvenis meum:
Sic tu paciferos frondis honores gere perpetim.
Paean finierat, Laurea factis modò ramulis
Phoebo assurgit, ad instar capitis fastigium movens.

Jacobus Rober
Gorl. Lusat.